



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Agenda S. Coloniensis Ecclesiae. Hoc Est: Liber Pastoralis

Ferdinand <Köln, Erzbischof>

Coloniae Agrippinae, 1614

Benedictio mulieris praegnantis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39761

260 **Benedictio purificandæ Mulieris.**

Vel, Deus qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere.

Item, Deus qui salutis æternæ beatæ Mariæ virginitate foecunda, humano generi præmia præstitisti, tribue quæsumus, vt ipsam pro nobis intercedere sentiamus; per quã meruimus auctorem vitæ suscipere, **Dominũ nostrum.**

*Deinde Sacerdos præbet ei exosculandum librum
Missalem dicendo.*

Verf. Dominus det tibi suam pacem.

Resp. Et vitam æternam.

Si contigerit mulierem aduersa valetudine certo tempore à Purificatione impediri, differatur Purificatio donec vtunque restituta, in Ecclesiam ingredi possit, etiam si mortis immineat periculum: quia Purificatio extra facienda non est, neque substituenda alia. Mulier purificanda in locum defunctæ puerperæ.

Missam siccam (quam vocant) neque ad purificandam mulierem, neque ad celebrandum coniugium, aut ad vllum alium vsum celebrari permittimus.

**BENEDICTIO MULIERIS
PRAEGNANTIS, VBI AVT MATRIS AVT
Infantis vita periclitatur.**

Verf. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

Resp. Qui fecit cælum & terram.

Verf. Saluam fac ancillam tuam.

Resp. Deus meus sperantem in te.

Verf. Esto illi Domine turris fortitudinis.

Resp. A facie inimici.

Verf.

Benedictio Mulieris prægnantis. 261

Verf. Nihil proficiat inimicus in ea.

Resp. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

Verf. Mitte ei Domine auxilium de sancto.

Resp. Et de Sion tuere eam.

Verf. Domine exaudi orationem meam.

Resp. Et clamor meus ad te veniat.

Verf. Dominus vobiscum.

Resp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens sempiternus Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, & in potentia maiestatis adorare vnitatem: quæsumus vt eiusdem fidei firmitate, hæc famula tua ab omnibus semper muniatur aduersis. Per Dominum nostrum.

Oremus.

Domine Deus omnium creator, fortis & terribilis iustus & misericors; qui solus bonus & pius es; qui de omni malo liberas Israël, qui electos Patres munere Spiritus tui sanctificasti: qui gloriosæ Virginis matris Mariæ corpus & animam, vt dignum Filij tui habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante præparasti: qui Ioannem Baptistã Spiritu sancto repleti, & in vtero matris

tris exultare fecisti: accipe sacrificium cordis
 contriti, ac feruens desiderium famulæ tuæ
N humiliter supplicantis pro conseruatione
 prolis debilis quam ei dedisti concipere,
 & custodi partem tuam, & defende ab omni
 dolo, & iniuria duri hostis: vt obstetricante
 manu misericordiæ tuæ, foetus eius, ad hanc
 lucem veniat incolumis, ac sanctæ regenera-
 tionis seruetur: tibi que in omnibus iugiter de-
 seruiat, & vitam consequi mereatur æternam.
 Per eundem Dominum nostrum, &c.

*Postea aspergatur aqua benedicta, dicendo
 Psalmum 66.*

Deus misereatur nostri, &c.

Verf. benedicamus Patrem, & Filium, cum sancto Spi-
 ritu.

Resp. Laudemus & superexaltemus eum in secula:

Verf. Angelis suis mandet de te.

Resp. Vt custodiant te in omnibus vijs tuis.

Verf. Domine exaudi orationem meam.

Resp. Et clamor meus ad te veniat.

Verf. Dominus vobiscum.

Resp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Visita, quæsumus Domine, habitationem
 istam, & omnes insidias inimici ab ea, & à
 præsen-

Benedictio impeditorum Coniugum. 263

præsenti famula tua longè repelle, & Angeli tui sancti habitent cum ea qui eam & foetum eius ab omni aduersitate & mortis periculo tua bene ✠ dictione custodiant. Per Dominum nostrum, &c.

Benedictio Dei omnipotentis Patris, ✠ & Filij, & Spiritus sancti descendat super vos & maneat semper, Amen.

**BENEDICTIO IMPEDI-
TORVM CONIUGVM.**

FIt interdum (Deo hominum vindicante siue infidelitatem, siue libidinem) vt vir & mulier maleficio impediti, à Matrimonij vsu impediuntur, ad quam depellendam noxam, coniuges primùm omnium diligenti conscientia examine, & confessione Sacramentali præmissa, adibunt Sacerdotem, qui lecta Missa de Spiritu sancto, aut Deipara Virgine Maria, sequentes subiiciet orationes:

Verf. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

Resp. Qui fecit cælum & terram.

Verf. Saluum fac seruum tuum, & ancillam tuam.

Resp. Deus meus sperantes in te.

Verf. Mitte eis Domine auxilium de sancto.

Resp. Et de Sion tuere eos.

Verf. Nihil proficiat inimicus in eis.

Resp. Et filius iniquitatis non apponat nocere eis.

Verf. Esto eis Domine turris fortitudinis.

Resp. A facie inimici.

Verf. Dominus vobiscum.

Resp. Et cum Spiritu tuo.

K k

Oremus.